

Alte Drucke

**Dauidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Ivdicvm, Rvth, in
Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ**

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XVII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](http://urn.nbn.de:gbv:ha33-1-148122)

Ερωτα νεανίσκη τοῖς Τυνόταιν σόλο ἀειδέσ πλι δὲ Δερκετοῖς μηγέσαν τῷ σύρφῳ, γῆπει
μὲν Συγατέρα (Σεμιράμιδα) καταποχυθεῖσαν δὲ ἐπι τοῖς ημαζημένοις, τὸν μετανοῶν
ἀΦανίσαι, τὸ δὲ παιδίον εἰς τίνας ἐφόμους, καὶ πετεώδεις τόπους ἐνθέναν. οἷς πολλήστη-
θεις περιπέρων ἔνος Λεω εἴσθοτε· παραδόξως τροφῆς καὶ σωτηρίας τυχεῖν τὸ βρέφος.
τὴν δὲ Διὰ πλι αἰρόντες καὶ λύπην πόνασαν εἰς πλι λίπιν, μεταχρηματισθεῖσαν
σώματε· τύπον εἰς ιχθύον. διὸ δὲ τὸ σύρον μέχει τῷ γυναικείῳ τύπῳ τὸ ζῆν, καὶ τὸν
τὸν ιχθύον ὡς θεός. Est iuxta Ascalonem ciuitatem Syriæ stagnum piscibus plu-
num, ac prope stagnum insigne templum Deæ, quam appellant Dercetam,
eiusque simulacrum sic effictum est, ut referat facie mulierem, reliqua parte
corporis piscem. Fabula autem hinc orta est, quod Venus aliquando obui-
am Deæ facta, accendit eam amore formosi adolescentis sibi sacrifican-
atque ex eorum concubitu filia (Semiramis) nata est. Dea sui erroris puden-
ducta, amouit adolescentem & exposuit filiam in loco deserto & saxoso, ubi
columbis alita est; ipsa verò pudore & dolore cōpulsa abiecit se in stagnum,
atque ibi in piscem est conuersa. Hanc ob causam & Syri abstinent pisca-
bus illius stagni, ut qui pro dijs habeantur. *Vt ante eos luderet* vt risum ei
præberet, πρῶ risit. in secunda coniugatione, ridere fecit, voluptatem
risum præbuit, vt se conspectu hostis iam præferrati apud molas tribuni fe-
mitasi & pedes annulati, oblectarent. *Et apprehendit ambas columbas me-
dias*) seu medio domus sitas, quibus ipsa domus theatri præcipue nitebatur.
Meminit Plinius theatri, vni cardini innitentis, lib. 38. cap. 15. C. Curio, qui
bello ciuili in Cæsaris partibus obiit, funebri patris munere, cum opibus
apparatuque non posset superare Scaurum: Theatra duo iuxta fecit ampli-
tima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus
utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se auersis, ne
nūcēm obstreperent scenæ, & repente circumactis, vt contra starent, posse-
mo iam die descendantibus tabulis & cornibus inter se coēuntibus, facie-
bat amphitheatum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis aum-
ratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quicquam
hoc primū? inuentorem an inuentum? artificem an autorem? autum
quem hoc excogitare an suscipere? parere an iubere? Super omnia erit po-
puli furor: sedere ausi tam infida, instabilique sede. En hic est ille terrarum
victor, & totius dominator orbis, qui gentes & regna diribet, iura exten-
mittit, deorum quædam immortalium generi humano portio, in machi-
pendens, & ad periculum suum plaudens. Quæ utilitas animarum ista?
quæ querela de Cannis? quantum mali potuit accidere? Hauriri urbes te-
ræ hiatibus, publicus mortalium dolor est, ecce populus Romanus vnu-
sus velut duobus nauigijs impositus, binis cardinibus sustinetur, & seipso
depugnantem spectat, periturus momento aliquo luxatis machinis: & po-
hoc quæritur tribunitijs concionibus gratia, ut pensiles tribus faceret, &c.

Caput XVII.

BSOLVTA proximis sedecim capitibus Iudicum populi Israël hi-
storiam sequuntur appendices narrationum, de Idolo Michæ à Da-
nis rapto, & de scelere Gabatarum, propter quod tota ferè tribus
Beniamin deleta est. Quas longè historiam Samsonis antecessisse, menio
sacerdo-

sacerdotis Phinceus (qui ante trecentos annos scortantem cum Madianitide interfecerat, Num. 25.) & tribus Dan possessionem fortis suæ adhuc quærentis, & aliæ circumstantiæ ostendunt. Quare statim post mortem Iosuæ, priusquam Othoniel eligeretur: cùm nullus adhuc iudex seu gubernator certus in populo Israël constitutus esset, hæc accidisse, communis sententia est, de quo disceptare curiosius nolim. Alioqui non inconcinnum esset, ad tempora Eli sacerdotis, quib. Israëlitæ, certo rectore & rege Iudice carentes, à Philistinis grauissimè afficti sunt, referre. Sunt autem doctrinæ loci in hoc capite præcipui.

- I. De Idololatria seu idolo Michæ.
- II. De Magistratus officio in tollendis idolis.
- III. De Votis.
- IV. Regula faciendorum & fugiendorum certa & perpetua fit, Ne unusquisque, quod sibi rectum videtur, hoc faciat.
- V. De stipendijs ministrorum altari inferuentium.

D E I D O L O M I C H A E.

TANTA mentium humanarum cœcitas, vanitas, audacia & malicia est, vt leuissima occasione, à norma veræ agnitionis Dei, & verorum Dei cultuum, in verbo Dei tradita, deficientes, idola seu imagines Dei, & cultus proprio arbitrio & curiositate electos instituant & seruent, vt hoc loco Michas, futili voto muliebri suæ matris superstitione morem gerens, idololatriæ longè vagatæ & diuturnæ autor & fundator est. Etsi autem idololatria propriè imaginum & statuarum cultum significat: vt dictio ipsa ex voce ἀιδομαι, simulacrum (ab εἰδωλού, assimulor, speciem præ me fero, videor, εἴδος, species, εἰδωλον spectrum, effigies: ὁρῶ γὰρ οὐκέτε ἔσθιας ἀλλο τάλιν εἴδωλα, οὐτοι περὶ σφίλων καὶ φίλων συνιόν) & λατρεῖα, cultus, à λα, valde, & τρέπει, tremere, composta est: tamen multò latius vocabuli usus in Ecclesia patet, vt cùm Paulus, Coloss. 3. avaritiam esse idololatriam, affirmat, & alioquin infinita ferè idolorum in mundo varietas est. Quam in certa quædam genera & veluti classes, hæc definitio reuocat: Idololatria, seu Deos alienos sequi, est discedentē à verbo Dei, quod unica & sola fidei & religionis nostræ norma est, proprio consilio & arbitrio eligere & instituere ceremonias, sacrificia vel alia opera, non mandata verbo Dei, quib. Deū coli aut nobis propicium reddi fingamus: vel nouos & coenitios deos, quos non coluerunt patres nostri (Abraham, Aaron, Moses, vt Baal, Chamos, Astaroth, Nebo, Palladem, Mercurium, coenisci & collere: vel honorem, fidem, amorem, super omnia soli vero Deo debitū, tribuere cuicunq; rei, quæ non est Deus: vel alligare verum Deum ad statuas vel alias res, ad quas se non alligauit suo verbo. Pertinet autē Michæ Idolum, in hoc cap. 17. Iudicum, ad primam & quartam classem. Neq; enim tantam Michæ & matris illius insaniam fuisse consentaneum est, vt ipsam statuam sculptam & fusa lamina argentea tectā, ducentis argenteis seu centum Ioachimitis emptam, esse Deum conditorem cœli & terræ iudicarent. Sed propria curiositate, seu bono studio & bona intentione, sine verbo & mandato Dei simo contra expressam prohibitionem primi præcepti, Non facies tibi scuptile, vel similitudinem ullius rei, non adorabis, nec coles ea) imaginem istam fundi curant, & in ædicula seu facello domus collocant, & sacerdotem, sacrificia & alios ritus sacros adiungunt, vt verum Deum conditorem cœli & terræ honore afficiant, & his sacris ritib. sibi magis propicium & placatum red-

X dant,

dant, & omnia bona, in sua œconomia & totius vitæ cursu ab ipso mercantur & obtineant. Hæc verò *πιστολογία*, et si speciem pietatis habet, ut plenius cordatores imaginum cultores apud Pontificos & ethnicos iactitant, se non lignis & lapidibus, sed Deo & sanctis, quorum sunt imagines, honorem illam exhibere: tamen Deus ipse, & sancti Prophetæ ac Patres, Apostolorum temporib. vicini, hunc cultū procidentiū ante statuas, sumam impietatem & abominationem coram Deo esse testantur, & hanc adorationem, non Deo, sed figuris mentium & manuum suarum, & ipsis dæmonijs, qui mentium humanarum coecitatem & audaciam ad comminiscenda & colenda idola incitent, præstari affirmant, vt 1. Cor. 10. Paulus inquit, dæmonijs immolant & non Deo. Sap. 13. 14. 15. Baruch. 6. Fons autem omnium in mundo idolomaniarum primus est. Quod mentes humanæ, in hac coecitate, audacia & vanitate à Diabolis confirmantur, vt nō acquiescant in verbo & mandatis Dei diuinitus patescant, sed existiment, licere sibi eligere & instituere cultus Dei proprio arbitrio sine verbo Dei, contra hanc æternam & immodicam regulam omnium in ecclesia dogmatum, opinionum & cultuum. Non facient singuli, quod sibi rectum videtur. Quicquid præcipio tibi, hoc tantum facito Domino. Non addas ad verbum quod tibi loqueris, nec minus ex eo. Esa. 8. Ad legem & ad testimonium, quod si non dixerint (& fecerint ac vixerint) iuncti verbum hoc, non erit eis matutina lux. Matth. 15. Frustrè colunt me mandatis hominum. Ezech. 20. In præceptis meis ambulate, in præceptis patrum vestrorum nolite ambulare. Deut. 6. Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Apoc. 19. Cecidi ante pedes angeli, vt adorarem eum, & dicit mihi: Vide ne facias, conseruus enim tuus sum, & fratum tuorum & habentium testimonium Iesu: **D E U M A D O R A.**

II. De Magistratus officio in tollendis idole. *Non erat rex in Israël.*

Magistratus est officium seu potestas à Deo ordinata & gladio armata, vt in certa politia sit custos & executor legis Dei, quam vult Deus genere humani restringere esse, & efficiat vt externi subditorum mores cum norma legis congruant: bonos ac recte facientes defendat ac ornent: blasphemos vero & sceleratos puniat gladio seu poenis corporalibus, & pacem publicam offeruet, vt in pace vera de Deo doctrina latè spargi, & colligi Deo æternæ ecclesia possit. Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo, nec frustrè gladium genitum enim minister est, vindicans seu puniens malefacentes. 1. Pet. 2. Obedit Regi & ducibus, qui ab eo mittuntur in vindictam malefacentium, & lumen recte facientium. 1. Timoth. 2. Orate pro regibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate. Ideo enim paciuntur ac seruant magistratus, non vt in ocio & voluptatibus securi, omnibus cupiditatibus indulgentes, suauiter putrescamus, verum vt in pace lux Euangelij ac veræ Dei notitiae latè spargi, & homines ad veram agnitionem Dei & omnia pietatis & cæterarum virtutum officia assuefieri, & disciplina, lamorum gubernatio honesta, id est, cum lege Dei seu norma voluntatis & iuræ congruens, in ciuili hominum societate conseruari possit. Praepuè autem ad officium p[ro]ij regis & magistratus pertinet, vt non tantum secundæ, verum etiam primæ decalogi tabulæ, quæ ad externam disciplinam costos sit, & suos ac subditorum mores ad præscriptum illius conforment: teneat & amplectatur ipse veram de Deo & redemptore nostro Iesu Christo, doctrinam: eamq[ue] subditis suis proponi curet, & sermones Epicureos, blasphemos, falsam doctrinam, impios cultus, ac idola, & alia externa delicta & scelera

Chrys.

dala aduersus primam tabulam aboleat ac tollat. Deuteronom 17. Rex librum legis diuinæ , continentem doctrinam veræ religionis , & regulam consiliorum, actionumque vitæ in gubernatione regni , & priuatis moribus omnium, assiduè & attentè legat, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba omnia, quæ in lege mandata sunt. Psalm.2. Et nunc reges intelligite , erudimini (discite veram de Deo doctrinam) qui iudicatis terram,Seruite Domino cum timore. Osculamini filium, ne irascatur & pereatis. Psalm. 24. Aperite portas principes vestras , vt introëat rex gloriæ Christus. Psalm. 47. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.Psal.102. Conueniant populi simul & reges , vt seruant Domino. De abolendis vero & tollendis impijs cultibus ac idolis expressè præcipitur magistratui,Deut.12. Dissipate aras idolorum & confringite statuas, lucos igne comburite,& idola comminuite,Leuit.24. Qui blasphemauerit nomen Domini,morte moriatur. Nam si crimen læsa Maiestatis humanæ, grauissimis pœnis merito vindicatur,multò magis Idololatria , quæ est crimen læsa maiestatis diuinæ seuerè coërcenda est. Cumq; in 2. præcepto omnibus hominibus præcipiatur , ne nomen Dei vanè usurpent : multò magis magistratus etiam suo loco prohibere & punire abusus nominis diuini , Epicureos sermones & alias blasphemias,cultus idolorum,periuria,magiam,professionem impiorum dogmatum debent. sicut Dauid,Salomon , Asa matrem à cultu idoli remouens,Ezechias æneum serpentem confringens,fecerunt. Et à Daniel eruditæ monarchæ, Nabugdonosor , Darius Medus , Cyrus, publicis editis blasphemias prohibuerunt. Constantinus postea claudi ethnica idolorum templo : Theodosius planè destrui iussit , & capitalem pœnam aduersus eos, qui publicè idolis sacrificarent,sanxit. Etsi enim magistratus nemini conferre fidem,nec iudicare aut mutare arcanas opiniones in mente potest: tamen curare debet,vt in externo ministerio vera doctrina , per quam Deus ad salutem efficax est,& veri Dei cultus doceantur , & externa delicta, blasphemias & scandala prohibere debet,ne licentia & exemplo plures corruptantur,& Deum contumelia afficere impunè permittantur. Ex hac declaratione intelligi potest,cur in textu dicatur , institutam à Micha hanc idololatriam esse , quia non fuerit rex in Israël, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat. Nam si legitimus & pius , ac vigilans magistratus , summa cum potestate in populo Israël eo tempore rem publicam gubernasset, cui primæ Decalogi tabulæ custodia & defensio curæ fuisset, nunquam impunè hoc idololatriæ scelus Michæ admittere licuisset. Et quanquam lex Dei non ignota erat,tamen cum executor & custos legis magistratus , officio suo deest,mentes hominum coecæ ac peruersæ nituntur in vetitum semper,cupiuntque negata. Ac vt ad omnia cætera cuiusvis generis peccata , sic etiam ad falsas opiniones de Deo & omnis generis idola & superstitiones, cum verbo Dei pugnantes,pronæ ac præcipites labuntur. Sapienti igitur & necessario Dei consilio , magistratus instituti sunt , vt voce legum ac pœnis, errantes hominum impetus coherciant ac frenent,& falsa de Deo dogmata, impios cultus,idola,blasphemias,cædes,libdines,furta prohibeant & tollant.

De Votis.

VOTVM est promissio sponte & consulto facta Deo,de re honesta & licta,& in nostra potestate sita.Vt autem Deus ipse verax & fidelis est: ita nos homines veritatis cultura ipsi similes esse, & promissa erga Deum & ho-

mines fideliter præstare iubet, ac de promissis Deo factis nominatim præcipitur, Psal. 75. Vouete & reddite Domino Deo vestro. Psal. 50. Inniola Dei sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Num. 30. Si quis votum Domino voverit, aut se obstrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit. Cum igitur mater Michæ hoc loco 1100. argenteos Domino consecrasse ac voulisse dicatur: quæri potest, annon proptere & recte fecerit, quod pecuniam suam, sponte & consulto promissam, Deo redidit. Respondeo: Non vouendo, sed rem impiam, ac lege Dei prohibitam, videlicet idolum vouendo, hanc mulierem peccasse. Est enim prima proptere & legitimi voti conditio, vt res honesta, id est, lege Dei mandata, vel certe non prohibita, Deo placens, & quæ sine peccato præstari possit, Deo promittitur, vt singuli in Baptismo veram agnitionem, obedientiam & cultum vero Deo promittimus. Accessuri ad Cœnam Domini se non amplius scientes & volentes peccatis, freна laxaturos esse promittunt. Hæc vota religiose seruandi & præstâda esse manifestum est. Cum autem res prohibitæ lege Dei, idola & manifestæ turpitudines (vt matronæ & virgines Corinthiæ in bello Xerxi Veneri votum faciunt: Alexander in aditu Asiae humanas hostias dijs immolat) aut quæ sine peccato præstari non possunt (vt missæ pro defunctis, inuocations mortuorum, opera monastica, cum persuasione meriti vitæ ætemæ) temerè & imprudenter vountent: tum & promittendo rem impiam peccatum, & additur peccatum peccato si seruatur. Itaq; horribiliter hæc foemina aduersus legem Dei peccat, cum idolum voulit, & addit peccatum peccato, cum illud erigit, & cultum idolatricum, extructa aedicula & stipendio sacrificali fundato, instituit & propagat. Non enim debent iuramenta & vota esse vincula iniquitatis, sed in malis promissis rescinde fidē, in turpi voto mutando cœtū, quod incautè voulisti, ne facias. Turpis est promissio quæ scelere adimpletur. Quas iudicij regulas de votis, à veterib. traditas, & iuri Canonico iam insertas, studiosi meminerint. Altera conditio voti est, vt re deliberata, sponte, à non errate, aut coacto suscipiatur. Quare pueri, pupilli, furiosi, stude circumuenti, vouere non possunt; nec voto aut iuramento promissa, tenore tenentur, vt ille apud Euripidem deceptus, inquit: οὐ γλῶσσας ἐμέμενε, οὐ φέρει αἰώνιος, Lingua iuraui, mentem iniurata mero. Tertia est, vt in omni voto ius superioris excipiatur, de quo Num. 30. expressæ leges extant, quæ filiarum & vxorum, in potestate parentum aut maritorum existentium vota, si pater aut maritus contradixerit, irrita pronunciant. Quare hanc mulierem matrem Michæ, 1100. argenteos vountem: viduam, & sui iuris fuisse contentaneum est. Reliquam de votis disputationem consulto hoc tempore omitto.

Vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

VVLT Dominus, non temerè ac cœco impetu variè fluctuantum opinionem & affectuum ferri, & vagari cogitationes, studia & actiones hominum, sed norma rectitudinis & bonitatis certa & immota gubernari. Nihil enim in hac mentium humanarum caligine & cœcitate facilius & proclivius est, quam in opinionibus, consilijs & actionibus labi, errare, hallucinari. Regulam igitur vitæ, ac normam, in cogitatione de Deo, & cultibus diuinis, in gubernatione morū & actionū vitæ omnium, certam & immotam Deus ipsis generi humano proposuit, de qua in Psalmo dicitur: Lucerna pedibus meis Vererbum tuum, & lumen semitis meis. Nemo enim recte Deum agnoscere & colere potest, nisi Deo ipso per verbū suū docente, & à Deo ipso discéduit quid

quid de Deo, qui non nisi se autore discitur, sentiendum aut loquendum sit. Regula igitur & norma veræ agnitionis & inuocationis Dei, & cultuum Dei omnium, est solum verbum Dei, per Christum Filium Dei, Prophetas & Apostolos patefactum, ita vt nihil aliud credere aut facere Deo teneamur, quam nobis in sacris literis præscriptum est. Deut. 12. 4. Non facient singuli, quod sibi rectum videtur, QVOD PRAECIPIO TIBI, HOC TANTVM FACITO DOMINO, Non addas quicquam (ad verbum quod vobis loquor) nec minuas. 1. Tim. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, &c. vt perfectus fiat Dei homo, ad omne BONVM OPVS paratus. Omnia igitur bona opera, omnes cultus Deo placentes, verbo Dei scripto, ita definiti & expressi sunt, vt nulla alia opera & cultus eligere aut instituere homo Christianus, quantumvis bona intentione, proprio consilio & arbitrio debeat, præter eos, qui verbo DEI per Prophetas & Apostolos tradito iam præscripti & mandati sunt, nisi enim, Dixit Dominus, nostris operibus & cultibus prælucet; nulla bona intentio aut finis quantumvis præclarus & pius, bonitatem operi, vt D E O placeat & acceptum sit, adiungere poterit. Manet enim regula immota, de operibus humano arbitrio & ēbeλοθερησιάνis, sine D E I verbo electis: FRVSTRA COLVNT ME MANDATIS HOMINVM.

Dabo tibi per singulos annos decem argenteos & vestem, & viētum)

De STIPENDIIS ministrorum Ecclesiae, Paulus 1. Cor. 9. longa concione præcipit, quam his verbis concludit, Qui sacris operantur (qui sacrificia offerunt) ex sacrificio comedunt, & qui altari seruiunt (in populo Israël & apud ethnicos) altaris participes fiunt (seu de viētimis in altari oblatis, partem suam sumebant, Leuit. 7.) Sic & Dominus ordinavit, vt qui Euangelion annunciant, ex Euangelio viuant. Iure igitur diuino debentur ministri fidelibus, Euangelion prædicantibus, stipendia, vnde alere suas familias honestè queant. Nam doctores Euangelij in templis & scholis, si iustum in dispendendo & docendo diligentiam & fidem præstent, non vacare alijs laboribus quaestuosis possunt. Quare lege Mosaica, primitiæ & decimæ omnium frugum, fructuum & pecorum, sacerdotibus & Leuitis destinatae fuerunt, & singuli Israëlitæ idem templo pendebant. postea temporibus Apostolorum singuli auditores eleemosynas conferebant. Cūm enim homo ad veram Dei agnitionem conditus sit: & communitates hominum in ciuitatibus & politijs idēo diuinitus consociatae sint, vt in cœtu ac frequentia lux veræ de Deo doctrinæ latius spargi & propagari possit: perspicuum est, omnes homines, pro facultatum suarum modo, aliquid conferre ad hunc præcipuum usum debere, vt vera Dei notitia, & ministerium Euangelij ac æternæ salutis publicum in his terris conseruetur. Apparet autem ex huius capitinis historia, cūm Leuitis, ministerio Ecclesiae diuinitus destinatis, decimæ & alijs reditus maligne ab impijs & ingratis ciuibus, vt nunc quoque visitatum est, soluerentur: multos miseris Leuitas, cūm agros certos, vt cæteri, non haberent, incertis sedibus vagatos, aliunde viētum emendicasse, & quascunque occasionses se alendi cupidè arripuisse, sicut hic Leuita Jonathas, vt in fine sequentis capitinis nominatur, Michæ, ministerium suum, etiam ad impium & idolatricum cultum, ventris causa addieit, & stipendiolum annum, quinque Iohachimicos & vestem duplēm, æstuam & hybernam, & liberum viētum mercedis loco recipit. Cūm autem impij & idolis seruientes sacrificuli à suis alantur: multò magis pios ac fideles Euangelij doctores, sedulò offici-

um facientes, honestis stipendijs soueri, & duplii honore affici conueniebat. Has de locis doctrinæ in hoc capite commone factio[n]es breues initio recitaui. nunc Textum capit[is] Grammatice exponemus.

Fuit eo tempore) non Samsonis , sed cùm rex aut gubernator certus Israël nullus esset , statim post mortem Iosuæ. *De monte Ephraim*) Ephraimita, habitans in montanis terræ Ephraim, ad tribum Beniamin & Iuda pertinenterib[us]. Situs in tabula Palæstina aspiciatur. *Nomine Michas*) מיכאל Machiehu. *Quis sicut Dominus.* *Mille centum argenteos*) מילר Argentum à verbo Casaph , desiderauit , quod homines plerique omnes eius desiderio teneantur. cùm autem nomen numerale additur , argentum signatum seu monetam denotat, ac in primis siclum argenteum , qui vulgo didrachmus : Sacer verò tetradrachmus fuit. Quare si διδραχμοι hi argentei fuerunt, 275. thaleros seu 220. coronatos, si τετραδραχμοι, duplum conficient. *Quia separaueras, & super quibus me audiente iuraueras*) quos acceperas tibi & se posueras ad cultum diuinum , seu quos iure iurando interposito vouisti, promisisti , te Deo consecraturum esse , in Ebræo legitur , Ascher LukaHi lachi, Veathi Alithi , Veamamarthi Beazanai. Qui ablati sunt tibi , & tu adiurasti (addita imprecatione pœnarū) atq; insuper dixisti in aures meas, seu me audiente. Apparet autem in nostra translatione verbum ηηηη actiuē redditum esse , vt Lutherus etiam vertit , quos sumpseras tibi , seu qui sumptum tibi, & de quibus tu iurasti me audiente , Deo hanc pecuniam consecraturi. Sed Ebræo fonti magis consentanea est sententia , quod mater, ob ablatos furto 1100. argenteos, maledixerit furi, eumque execrata sit : audientilio, qui veritus matris maledictionem , fateri furtum , & reddere pecuniam maluerit, quām pœnas à matre imprecādo denūciatas , expectare. *Benedictus filius meus à Domino*) Benedictus à Deo est , cui Deus bene vult & beneficit, seu omnia bona tribuit spiritualia & corporalia, præsentia & æterna, *Consecraui & vovi hoc argentum Domino*) In Ebræo , sanctificando sanctificauram (seu consecraueram iam dum) hoc argentum Domino. Non debet autem hæc vidua vouendo seu de bonis suis Deo aliquid promittendo : rūm contra expressum Dei verbum , prohibens ullam imaginem aut simulachrum cultus diuini causa fabricari aut coli pecuniam in sculptile & confitile seu cultus idolorum institutionem collocando. Sæpe autem iunguntur in sacris literis voces ιηηη ιηηη Sculptile & fusile. nam imagines & statua ligno vel lapide primum sculpi, deinde lamina , ex argento aut ære inaurato fusa, induci & tegi solebant, à ιηηη dolare, exsculpere & ιηηη fundere, cooptare, tegere.

Tulit ducentos argenteos) Siclos seu centum taleros ad fusionem idem reliquum enim ad ædificationem ædiculae, ad fundationem beneficij seu stipendium sacrificuli annum, ad supellectilem sacram, vt vestes ac ornamenti sacerdotalia impenderunt. *Aediculam Deo separauit*) *Eine Capell.* *Pro Ephod*) ιηηη Propriè pallium tegens humeros summi Sacerdotis, quod super humerale seu επωμιδα interpretes reddiderunt, Exodi 28. & alibi , ab ιηηη superinduit, astringendo texit. Fuit autem aliud summi Sacerdotis proprium, aliud ex lino factum , quod omnes alij sacerdotes ac Leuitæ & cæteri ministrantes gestabant. *Et Teraphim* ιηηη aliás μορφώματα seu imagunculas simulachra, ad formæ humanæ, quam filius Dei assumpturus erat, similitudinem efficta, Gen. 31. 1. Reg. 19. Zach. 10. aliás apparatum cultus diuini, zum Gottesdiensi oder Götzen diensi gehörer/ vt hoc loco; aliás simpliciter idolatria

iolatriam significat, vt 1. Reg. 15. Et quasi scelus idolatriæ est nolle adquiescere seu reluctari, vbi in Hebræo est וְתַרְפִּיכָת הָרֶצֶר וְאַוְן. (Impletum g. manus) Consecravit in sacerdotem traditis in manus filij panibus, laganis, carnib. sacrificiorum, & alijs rebus Deo offerendis, Exod. 20. Alter adolescens) Nomine Ionathas, quod in fine cap. 18. extat, Bethlehem Iuda) ad discrimen alterius Bethlehem in tribu Zabulon, Ios. 19. בֵּית לְיִהְוֹדָה domus panis, in qua panis vitæ Dominus noster Iesus Christus ex virgine Maria natus est, Matth. 2. Luc. 2. Mich. 5. Quæ eadem fuit patria regis Davidis, 1. Reg. 16. Abfuit duobus miliariis à Ierosolymis versus meridiem. Ex cognatione eius) scilicet Iudæ, inculcat enim huius Leuitæ patriam fuisse Bethlehem in tribu Iuda, non alteram in tribu Zabulon. Erat g. ipse Leuites) Non habens propriam possessionem & domicilium, vt nati in ceteris tribubus, sed instar pauperis scholastici vagabatur querens conditionem. Etsi enim decimæ alendis Leuitis lege diuina destinatae erant, tamen in tanta hominum impietate & auaritia malignè soluebantur. Ideò passim vagari, & victum mendicando querere multi cogebantur. Dabo tibi decem argenteos) Stipendum sacrificuli sunt quinq; Ioachimi, & vestis duplex, hyberna & aestiva, cum libero victu. Approbat autem hic Leuita ventris causa quamcumq; religionem, modò victum & amictum habere possit.

Caput XVIII.

HISTORIA tribus Dan, rapientis idolum Michæ, & plures ac vbetiores agros, ex quibus se ac suos honestius alant, inquirentis, ac oppidum Lais securum occupantis: aliquot locos consideratu vtilles continet, quos breuissime annotabo.

I. De necessitate, dignitate & beneficijs Magistratus politici, Φύλακος, quo vigilante & officium suum sedulò faciente, ad normam Legis, quam vult Deus generis humani rectricem esse, externi subditorum mores honeste reguntur, & suum cuiq; tribuitur ac defenditur, & externa delicta ac scelerata, blasphemia, impia cultus, idola, libidines, rapinae, feuerè prohibentur ac vindicantur. Rursus igitur inculcat, Non fuisse regem in Israël, qui idolatriam, bonorum alienorum direptiones, & similia delicta coerceret ac puniret. Ideo potentioribus, quod libuit, licuit. Deinde quod ad sortem tribus Dan attinet, constat à Iosua eam Danitis designatam & attributam fuisse regionem maritimam prope Ioppen & Azotum, ad ripas fl. Sorec, inter tribum Iuda & Ephraim, Ios. 19. Cùm autem in plenam & integrum possessionem nondum venisset: & crescente contribulium numero, angustius in Iudææ finibus habitarent, & à ceteris tribubus quietem & sua commoda querentiibus fortasse negligenterunt: coloniam in oppidum regionis Roob, in extremis Palæstinæ finibus ad radices Libani deducunt, quam de suæ tribus conditore, Dan nominarunt.

II. DE CONSULENDO in rebus agendis DOMINO: & regula vitæ vnica, consilio seu verbo Domini: admonitionem utilissimam cap. 1. recitauimus, quæ præsentis historiæ Danitarum, nomine suo Dominum per sacerdotem consuli rogantium, occasione repetatur. Etsi autem Danitæ sacerdotem idolatram interrogantes, vt Saul Pythonem, Croesus Apollinem Delphicum, Julianus Necromanticum consulens, grauissime peccant: quia non